Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

virtutem antistitis, et ut nullus ag-
grederet quod ipse prosumpserat predicabat.
Eo tempore quo talia apud urbem
Turonicam gerebantur, legati de Hi-
spaniis, id est Florencius et Exuperius ad
Chilpericum regem veniebant. Quos dum
ad convivium ecclesie recepissem, epulantibus
nobis, eo quod se assereret esse catholicum
Florencius qui erat etate senior, solli-
cite flagitat aliqua debiti viri virtu-
te cognoscere. At ego gratias deo agens,
interrogo si vel nomen eius in illis regio-
nibus audiret, vel vitam illius legeret
ab aliquo. Hec me interrogante ait:
magnifice in illis locis honorari no-
men eius. Sed et se peculiare alumnum
antistitis narrat dicens, super se mag-
nam eius virtutem ostensam fuisse. Avus
inquit eius ante multorum annorum curricu-
la basilicam in honore construxit beati
Martini antistitis, perfectamque ac ele-
ganti opere exornatam Turonis clericos
religiosos destinat, expetens ponti-
ficis reliquias, ut scilicet locum quem
in eius nomine edificaverat eius reliquiis
consecraret. Quod cum fecisset, per sin-
gulos dies veniebat et prostratus so-
lo cum coniuge sancti pontificis auxilium
implorabat. Post multum vero tempus
hic nascitur. Cum vero trium mensium
esset a febre pulsatus et in tantum
exinanitus ut papillam sugere neque
ullum alimentum valeret accipere. In-
terea perdurante morbo, cibo negato
palpitante tantum spiritu solus transitus
prestolatur. Nec mora, ipse quoque exalat
spiritum. Tunc mater mesta vel avia de
unice ac primogenite sobolis morte
apprehensum inter brachia ante altare
beati quoque Martini iam exanime cor-
pusculum spe non incerti deposuerunt
et tanquam si sanctum visibilibus te-
nerent oculis, avus alloquitur di-
cens: Spes nobis erat maxima
beatissime confessor tua hic pigno-
ra deportare, quia morbi depellerent,
febres extinguerent, fugarent tene-
bre et alie quoque infirmitates emun-
darent, pro eo quod de te legantur pluri-
ma que vel vivens feceris vel post
transitum operueris. Nam audivimus
oratione mortuos suscitasse, lepram
osculo depulisse, energuminos cu-
rasse verbo, venenum digito compressisse,
et alia multa fecisse. Hic apparebit
virtus tua, et si nunc iuxta fidem
nostram hunc resuscitavis parvulum.
Quod si non feceris, non hic ultra colla
curvamus, non lumina accendimus, aut ho-
noris aliquam gratiam exhibemus. Et
hec dicens, relicto ante altare infan-
tulo abierunt. Mane autem facto,
venientes invenerunt eum ad ad altare
conversum. Hec mirantes, suscepit
eum mater in ulnis, et cognoscens
eum resumpsisse flatum, applicat ad pa-
pillam, qui protinus hausto lacte con-
fortatus est. Tunc mater cum patre vel
omni domo elevata in celo voce bene-
dixerunt deum dicentes: Nunc cogno-
vimus quia magnus es et facis mi-
rabilia solus, qui nobis parvulum con-
fessoris tui oratione restituisti. Nam
et illi loco maiorem quam prius fecerat
reverentiam exhibebant. Hec ad ipsius
Florencii ore ita gesta cognovi.
Clericus erat ab urbe Pictava
atque regionis illius, qui ad sanctam
basilicam pertinebat, unius pedis usu de-
bilis, qui ut ipse asserebat per in-